

Tellus ut imbres excipit arida:
Voces amicis hinc bibit auribus
Gens impolita et visa quondam
Moribus effera belluinis.

Vecors Deorum cultor inanium
Jam lege gaudet Numinis Unici,
Quod jura terris igneumque
Sideribus tribuit vigorem.

Sparsi per agros, ritibus horridi
Fontes requirunt jam sapientiæ,
Et tecta condunt, atque vestris
Imperiis ad honesta tendunt.

Fœdata cedit nunc facies soli;
Immersa letho vita reffloruit;
Et arte vestra mox coloni
Frugiferas tenere terras.

Adspirat istis en Bonifacius!
Et quo beati vos duce milites
Pugnatis, hic vere paternum
Auxilium tulit in periculis!

Quin Ille, cara magnanimus mori
Pro gente, legat vel cineres suos
Vobis, amoris pignus ingens,
Quod memores reveremur adhuc!